



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

3 Haereticus quis dicatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

- 60 Hereticus, vltra pœnam mortis, alias pœnas incurrit.  
 61 Opera auctorum damnatorum nullo modo recipi debent.  
 72 Hereticorum mos est bona multa docere,

- ut falsa facilius persuadeant;  
 62 Hereticorum libros legentes, habentesque, quam pœnam incurrant.  
 74 Hereticorum memoria damnatur, eorumque filij plura patiuntur.

**H**ÆRESIS est infidelitatis species, pertinet ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. S. Th. 2. 2. *quest. 11. art. 1.* Turrecrera. *in summ. de eccles. lib. 4. par. 2. c. 1.* quem refert Pegna, qui alias diffinitiones adducit, *in 2. p. direct. comment. 26. vers. ac hæresis*, & Covar. *var. resolut. lib. 3. cap. 1. num. 2.* Et, quia sortilegia, de quibus supra, pluries hæresim sapiunt, nunc de crimine hæresis, & hæreticorum pœnis est tractandum.

Hæresis ¶ crimen est merè ecclesiasticum, super quò iudex secularis, nec contra laicum cognoscere potest, nisi in sententiæ executione à iudice ecclesiastico lætæ, *ca. ut inquisitionis, §. prohibemus, de heret. in 6.* & ibi gloss. *fin. in cap. cum secundum leges: Abb. in cap. ad abolendam, num. 7. & 12. eod. tit. & Bursar. conf. 43. & conf. 90 num. 16.* ubi de communi restatur, *volum. 1.*

¶ Ut autem quis sit hæreticus, est necessarium ut quandoque fidem Catholicam sit professus, & deinde in ijs, quæ sunt fidei, erraverit, vel etiam determinationem Ecclesiæ, in concernentibus fidem, falsam putaverit, *cap. hæc est, 24. quest. 1. & Craff. decis. aur. c. 8. num. 1. par. 1. lib. 2.* Quia factum sine errore nunquam facit hominem hæreticum, ut fornicator aut mœchus, licet agat contra præceptum Dei, non mœchaberis, ex hoc non est hæreticus, nisi credat, vel opinetur mœchari esse licitum.

Primum ¶ imagines baptizare, puerum rebaptizare, dæmonibus thurificare, eosque adorare, & consulere, eorum responsa suscipere, & Corpus CHRISTI in luto conculcare, licet omnia huiusmodi sint horrenda peccata, nisi sit error in intellectu, non faciunt hominem hæreticum, S. Antonin. *in 3. par. sum. tit. 12. cap. 4. in princip. & latus, cap. 5. post Petr. de Palud. 4. sent. dist. 13. S. Thom. in 1. sent. dist. 33. art. 5. in corp. Craff. eod. cap. 8 num. 2. & cap. 18. n. 12. ead. par. 1. lib. 4.* Ideò sacerdos sortilegus, vel dans pocula amatoria cum invocatione dæmonum, vel celebrans hostiã non consecratã, non dicitur hæreticus. Oldrad. *in conf. 210. incip. regularis habetur*, & Felyn. *in rubr. de heret. n. 5.* dummodò invocatio auxiliij dæmonis sit ad præterita, vel ad tentandas mulieres, in quo quis utitur ad tentandum, quod est officium suum, licet sit grave peccatum, gravique pœnitentia in foro pœnitentiali, & in foro contentioso gravissima pœna dignum, & non careat suspitione hæresis. Et dummodò invocatio fiat imperativè, secus si deprecativè: quia hoc casu esset hæresis, ut per Oldrad. *d. conf. 210. n. 3.* Nam, licet Corpus Christi in luto conculcare, dummodò nõ sit error in intellectu, cujus cognitio ad officium sanctæ Inquisitionis spectat, non faciat hominem hæreticum, est tamen crimen capitale, argum. *text. in l. vnic. ubi etiam gloss. l. nam lic. sig. salvat. Menoch. de arb. jud. lib. 3. cent. 4. cef. 366. num. 3. & Decian.*